

non quaeramus. II. Ut potius alteram maxillam re ipsa praebeamus, id est, alteram accipiamus iniuriam, quam acceptam ulciscamur. III. Ut parati simus ad remittendum de iure, quodcumque id caritas et Dei gloria videtur postulare. Consilii autem est, ut quamvis neque caritas neque Dei gloria id a nobis exigat, mortificationis tamen nostrae causa, aliove sine bono, ad verbum haec omnia faciamus, non quidem irritantes adversarium ad inferendam iniuriam, sed eam repetitam patientes et christiano animo perferentes nos ipsos (si Dei gloria vel prudentia id suaserit) vincamus.

150. IV. DESPECTUS DIVITIARUM IN EVANGELIO TANTOPERE A CHRISTO COMMENDATUS, NEGOTIATIONEM REIPUBLICAE UTILEM VEL NECESSARIAM NON DESTRUIT, NEQUE EX ALIO CAPITE VITUPERANDUS EST. Haec assertio nostra est non solum contra veteres ethnicos (1), sed etiam contra illos nostri temporis incredulos, qui contendunt, propter despectum divitiarum, quem christiana religio imperat, negotiationem destrui, humanae societati adeo utilem. Ita ineptit auctor inscripti operis *Examen de la Religion*, chap. 5. Idem effutiebatur etiam *Baelius* (2). Hos ut solide refutemus, primo videamus, quae in lege evangelica quoad divitias praecipiantur, postea vero talia esse ostendemus, ut com-

(1) Quod increduli nostri temporis quoad negotiationem nobis obiciunt, iam olim ethnici primi christianis obiecerunt; prout *Tertullianus* testatur in *Apologetico*, cap. 42, ubi dictis ethnicis respondet his verbis: « Sed alio quoque iniuriam titulo postulamus, et infructuosi in negotiis dicimur. . . Meminimus gratiam debere nos Deo Domino Creatori. Nullum fructum operum eius repudiamus; plane temperamus, ne ultra modum, aut perperam utamur. Itaque non sine... tabernis, offi-

muni societati neque magis consentanea, neque magis utilia esse possint. Inprimis ergo notandum est, quod in evangelica lege dumtaxat consulatur, non vero praecipitur renuntiatio divitiarum; prout s. *Augustinus* (3), allatis ex evangelio s. *Matthaei* c. 19, v. 21 illis Christi ad quendam invenem verbis: *Vade, vende omnia quae habes, da pauperibus.... et veni, sequere me*, ita evincit: « Cui enim Dominus haec praecipit? Profecto illi diviti, qui vitae aeternae consequendae consilium quaerebat accipere. Hoc enim Domino dixerat: quid faciam, ut vitam aeternam consequar? Ille autem non ei respondit: si vis venire ad vitam, vade, vende omnia quae habes: sed: *si vis venire ad vitam, serva mandata*. Quae iuvenis cum sibi a Domino ex lege commemorata se servasse dixisset, et quaesisset quid adhuc sibi deesset, responsum accepit: *si vis perfectus esse, vade, vende omnia quae habes et da pauperibus....* Magister bonus mandata legis ab ista excellentiori perfectione distinxit. Ibi enim dixit: *si vis venire ad vitam, serva mandata*; hic autem: *si vis perfectus esse, vade, vende omnia etc.* Ita s. *Augustinus*. Quapropter in evangelica lege consuli tantum, non vero praecipitur, ut divitiis renunciemus, apertissimum est.

151. *Consilium* autem, quod de renuntiandis divitiis in lege evange-

cinis... munditiae vestris, ceterisque commerciis cohabitamus hoc saeculum. Navigamus et nos vobiscum, et militamus, et rusticamur, et mercatus prout miscemus.... Quomodo infructuosi videamur negotiis vestris, cum quibus et de quibus vivimus, non scio.

(2) Tom. 5 oper. part. 4 Continuation des pensées diverses, § 197.

(3) Epist. 157 ad *Hilarium*, alias epist. 89.

lica insinuatur, tantum abest, ut rite intellectum et executioni datum reipublicae noceat, ut potius quam maxime prosit. Certe nullum societati humanae damnum inferitur, sed potius eiusdem bonum promovetur, si is, qui divitiis instructus est, nullamque ob conditionem sui status, aut alia de causa peculiaris obligationem habet, easdem iis distribuat, qui magna necessitate laborant, vel in usum earum rerum impendat, quae communi societati valde prodesse possunt. Atqui huiusmodi opera virtutum peragenda ab iis, qui divitiis renuntiant, proponuntur: consilium itaque, quod de relinquendis divitiis in lege evangelica insinuatur, publicae utilitati non obest, sed quam maxime prodest.

152. Porro, quod moralis doctrina Christi homini, seu lex evangelica negotiationem non simpliciter prohibeat, iam supra ex *Tertulliano* (1) ostendimus. Ut autem ista res magis dilucidetur, advertendum est, quod iuxta s. *Thomam* (2) aliosque theologos duplex genus negotiationis distingui possit: Unum quod exercetur vel per commutationem unius rei cum alia, vel per commutationem pecuniae cum rebus ad subveniendum vitae necessitatibus: hoc autem genus negotiationis non proprie pertinet ad negotiatores, sed magis ad oeconomos, vel politicos, qui ex officio suo debent civitatis politicam, aut domus oeconomicam curam gerere: alterum vero, quod consistit vel in commutatione pecuniae cum pecunia, vel in commutatione quarumcumque rerum cum pecunia, non propter res necessarias vitae, sed propter lucrum quaerendum.

Illud primum negotiationis genus laudabile est, quia deservit naturali necessitati. Secundum vero negotiationis genus, nisi alius bonus finis accedat, in se nihil habet unde laudem mereatur, sed potius, quantum est ex sui natura, ad lucri cupiditatem deservit, quae nunquam expletur. Lucrum tamen, quod est negotiationis finis, etsi in sui ratione non importet aliquid honestum vel necessarium, nihil tamen importat praecise de sui ratione vitiosum, vel virtuti contrarium. Quapropter potest illud referri ad aliquem necessarium finem, aut honestum; et tunc huiusmodi negotiatio etiam secundi generis erit licita, ex. gr. si aliquis lucrum moderatum, quod negotiando quaerit, ordinat ad domus suae sustentationem, vel etiam cum aliquis negotiationi intendit propter publicam utilitatem, ne scilicet res necessariae ad vitam patriae desint, aut ob alium honestum finem.

SCHOLION. Qui plura de negotiatione cum legis evangelicae observatione compossibili legere cupit, consulat etiam s. *Augustinum* (3) de hac re praeclare disserentem, et cl. *Thomam Cerboni* (4). Paucis: lex evangelica non vetat negotiationem debilis conditionibus paullo ante explicatis exercitam; sed solum interdicit inordinatum modum et affectum negotiandi: sicut non ipsas divitias et earum possessionem, sed solum inordinatum amorem et pravam usum divitiarum damnat et prohibet.

153. QUÆRES IX. *Utrum ethnica sapientia veterum philosophorum cum morali doctrina Iesu Christi aequiparanda sit?* R. Negative. Contrarium quidem famosus *Horus* cum

(5) Enarrat. in psal. 70. Serm. 1, n. 17 et seq.

(4) Loc. cit. § 1, proposit. 3, p. 24-28.

(1) Num. 450 in nota (1).

(2) 2, 2, q. 77, art. 4.



aliis incredulis haud obscure insinuat, de morali Christi doctrina ita (1) pronuntians: Christus tanquam moralista (seu doctor morum) meretur, ut dictum est, maximam aestimationem et amorem hominum ..... Quod autem plus quam humanas, vel etiam solummodo novas morales veritates docuerit, probari nequit. Et postquam praecipuas quasdam veritates a Christo hominibus propositas et in evangelio contentas recensuit, subiungit haec verba: *Profecto melior doctrina moralis quam ista non potest inveniri. Nihilominus nolim dicere, quod hae doctrinae..... ab hominibus non potuissent in medium proferri; erant enim bonis moralistis graecorum* (alludit ad veteres graecorum philosophos, quales erant *Plato, Socrates, Pythagoras* etc.) *qui iam ante Iesum vivebant, iam cognitae.* Hae in parte *Horus* etiam consentit auctor operis: *Examen apologistarum christianae religionis* (quod *Freret* adscribitur) qui, quamvis non audeat directe sanctitatem, aut veritatem christianae doctrinae censurare; eius tamen decus imminuere tentat asseverans, quod *homines non sint illustriores et sapientiores, ac erant ante Verbi incarnationem: adeoque huius* (id est, Verbi incarnati) *adventum ac praedicationem ad hocce opus superrationem omnino fuisse* (2). Sed hieorumque haec in re sectatores iam satis refutantur tum per scripta patrum, *Lactantii* (3), *Origenis* (4), *s. Augustini* (5), *s. Chrysostomi* (6),

(1) In detestando suo opere, pag. 550-555.

(2) In opere, cui titulus: *Examen des Apologistes de la religion chrétienne*, c. 9.

(3) Institut. Divinar. lib. 5. De falsa sapientia.

(4) L. 6 contra *Celsum*.

(5) De civ. Dei, l. 8, cap. 12, l. 10, c. 30, l. 19, c. 4 et 4, et in aliis locis.

tum per doctissimas lucubrationes recentiorum, praesertim cl. *Mourgues* (7) *Antonini Valsecchi* (8), et *Hermanni Goldhagen* (9), qui ex instituto ostendunt, ethnicam veterum philosophorum sapientiam nullo modo aequiparari posse morali Christi Domini doctrinae. Mihi sufficit generatim observare, quod moralis doctrina Christi nihil nisi bonum iubeat, nihil nisi malum vetet; omnia erga Deum, proximum et se ipsum officia complectatur: ac certissimam ad excellentem virtutis gradum atque perfectionem viam designet et doceat: prout legenti evangelium, et modo citata testimonia patrum et auctorum catholicorum, quos citavimus, dissertationes expendenti ad oculum patebit. Certe nullum philosophia ethnica systema produxit, quod doctrinae morali Iesu Christi aequiparari, nedum praeferi valeat. Balbutire non nulli veteres ethnici philosophi de summa rei, aut de certis quibusdam officiis hominis ac virtutibus coeperunt disserere, sed a pleno evangelicae perfectionis systemate longissime erant remoti, variisque ac crassis erroribus doctrinam suam corruerant; prout paullo ante citati a nobis patres et auctores invictè demonstrant.

Quare omissis ambagibus contra gentiles philosophos dico, ipsorum sapientiam nullatenus morali doctrinae Iesu Christi esse aequiparandam, et auream *M. Augustini* sententiam, quam hic s. pater, reiecta veterum illorum philosophorum sapientia, in

(6) Homil. 19 ad populum antiochenum.

(7) Parallèle de la morale chrétienne, avec celles des anciens philosophes.

(8) In opere suo: *La religione vincitrice*, part. 2, c. 6, *Confronto della sapienza gentilesca colla cristiana*.

(9) Introd. in s. Script. part. 3, sect. 2, n. 364, pag. 580-585.

medium protulit, pariter ingemino: *Venit Dominus Christus, sapientia Dei: coelum tonat, ranae* (id est, ethnici illi philosophi) *taceant* (1).

154. *QUAERES X. Utrum Christus Dominus moralem suam doctrinam ex philosophia graecorum, Socratis, Platonis etc. hausserit?* R. Hoc quidem affirmare audeat *Horus* (2), sed pro more suo sine omni solido fundamento aut probatione. Ut enim hoc probaretur, deberet primo ostendi, quod Iesus humilis fabri filius, qui iuxta estatum ipsorum iudaeorum, qui eum norant, ne quidem studio literarum apud iudaeos tunc usitato operam dederat (3), nec linguae graecae usum exercuisse legitur, quod, inquam, Iesus copiosa et vasta volumina graecorum philosophorum pervolverit, absurdos, crassosque horum errores (4) a veris sententiis discreverit, atque ex his ita depuratis unum atque cohaerens totius doctrinae moralis systema efformarit: dein deberet ostendi, quod philosophia graecorum totum aliquod systema undequaque perfectum, quale Christus docuit, et in evangelio nobis reliquit, completa sit. Nam, ut verisimiliter quis affirmare possit, Christum suam moralem doctrinam ex graecis philosophis hausisse, non sufficit, unum dumtaxat alterumve *Platonis* aut *Socratis* dictum, quod cum Christi doctrina, ipsaque sana ratione consentit, in medium proferre; sed systema cum systemate, totum cum toto

conferendum, simulque ostendendum est, quod Christus non aliunde, quam ex philosophia graecorum illorum philosophorum suum systema acceperit. Hoc autem *Horus* nec ostendit, nec ostendere potest; praesertim cum iam alibi (5) a nobis demonstratum sit, Christum esse verum Deum, adeoque ad proferendam tam perfectam doctrinam moralem, quam revera docuit, nequaquam philosophia graecorum indiguisse.

155. At *INSTAT Horus*, et ait (6): Ipsa Scriptura testatur, quod iudaei de Christo Ioan. 7, v. 35 dixerint: *Numquid hic Iesus ad graecos hinc inde dispersos iturus est, eos docturus?* Ergo socratica et platonica philosophia (sicut et ipsa lingua graeca) tunc in Iudaea iam erat aliquibus cognita et usitata; adeoque Iesus vir sapiens, auditis principiis tam eximiae doctrinae moralis graecorum, praesumendus est ad reformandam gentem suam novum moralis doctrinae systema ex philosophia graecorum efformasse. R. Haec *Hori* opinio, aut potius suspicio prorsus frivola est, et non uno ex capite refutari potest. Nam I. Allatum textum ex evangelio s. *Ioannis* inepte adducit *Horus*. In vulgata enim nostra loco vocis *graecos* ponitur vox *gentes* hoc modo: *Numquid in dispersionem gentium iturus est, et docturus gentes?* Equidem in graeco textu est, τῶν Ἑλλήνων, id est, *graecorum*; sed (quemadmodum *Meno-*

bant, nec ulterius ad investigandam rei, quam admirabantur, originem pergebant, uti s. *Chrysostomus* bene notat. Haec enim de causa Deus voluit Iesum non e scholis, sed ab arte fabrilis prosilire in calbedram, ut omnes agnoscerent doctrinam non esse humanitus comparatam, sed divinitus inspiratam.

(4) Vide praeced. num. 155.

(5) Vide supra sect. 2. n. 20-55.

(6) Loc. cit. pag. 524 et 525.

(1) Serm. de Tempore, 159.

(2) Loc. cit. pag. 524 et 525.

(3) Unde Ioan. c. 7, v. 15, scriptum est: *Et mirabantur iudaei dicentes: Quomodo hic (i. e. Christus) literas scilicet, cum non didicerit?* Inde inferre debuissent iudaei (ut *Cornelius a Lap.* in hunc locum Scripturae bene observat), quod tanta Iesu scientia et sapientia non sit studio acquisita, sed a Deo missa; verum odio caeci et stupidi in admiratione consiste-



chius in hunc locum recte observat) *graecorum* nomen, non minus quam *gentium* accipitur pro quavis natione qui modo non sint iudaei; prout ex s. Paulo manifestum est, qui frequenter totius mundi homines in iudaeos et graecos dividit (1). Quare loc. cit. s. Ioannis sensus est: Numquid in dispersionem gentium est iturus, et docturus gentes, id est, praedicaturus infidelibus, qui iudaei non sunt. Male ergo Horus in citato s. Ioannis loco per *graecos* determinate intelligit solam nationem graecorum. II. In sacro textu non dicitur: Numquid in dispersionem gentium (seu *graecorum*) iturus est, ut discat a graecis, nimirum horum philosophiam; sed potius ut graecos doceat, docturus gentes, sive graecos, id est, infideles; ut paulo ante cum Menochio diximus. III. Christus, dum suam doctrinam moralem tradidit, eam nunquam confirmavit citando graecorum philosophorum principia, sed potius sacras literas V. T.; ut omnes s. Scripturae non ignari sciunt. Vide Matth. cap. 5, v. 21, cap. 15, v. 4, cap. 19, v. 4, 9. Plura eiusmodi exempla reperies in indice testimoniorum a Christo in novo Testamento citatorum ex veteri, qui appositus est ad finem bibliorum: ergo Horus sine solida ratione ait, Christum ex philosophia graecorum suam moralem doctrinam hausisse.

156. QUÆRES XI. An apud ESSENOSES, quidquid perfectionis moralis doctrina Christi continet, iam ante Christum fuerit in usum quotidianum deductum? R. et contra incredulos, qui ad imminuendam Christi, et evangelicæ moralis doctrinæ excellentiam hoc obiiciunt,

(1) Ad Rom. c. 1, v. 16, et c. 2, v. 9, et c. 5, v. 9, et cap. 10, v. 12, et alibi.  
(2) Loc. cit. pag. 582 et 585.

dico cum cl. Hermanno Goldhagen (2): Quae in *essenis*, seu *essaëis* rechabitarum aemulis, et iudaeorum anachoretis a Iosepho (3) copiose laudantur; ex continua legis mosaicae meditatione profecta sunt: praelusit illa legi evangelicæ velut umbra veritati, et rudis delineatio perfectæ picturae numeris omnibus absolutæ; quantumeunque autem hanc inter et illam, tantum interest inter perfectionem *essenorum*, et eam primorum christianorum: illorum de moribus doctrina potissimum vitam solitarie degentium direxit; evangelicæ autem omnes hominum conditiones ad perfectionem informat: illorum doctrina manca erat, et superstitionibus ac erroribus inquinata; prout praeter alios testatur Abrahamus Calovius in sua dissertatione (4) de statu iudaeorum ecclesiastico-politico ab anno primo nativitatis Christi usque ad excidium Hierosolymæ. Ibi enim num. XXV ait: *Essæi vero religionum sanctimoniam omnem, paulo magis scrupulatim, ad anxias quasdam superstitiones exegerunt.* Imo ipse Iosephus iud., qui *essenorum* sectam multa cum panegyri describit, tamen eorumdem superstitiones nondissimulat, fassus, quod vitaverint expuere in medium, vel in dexteram partem, quod sabbati tanta fuerit penes illos religio, ut neque utensilia domus vel parum amovere, imo nec ventrem exonerare fas ducerent, item quod a contactu seniorum ex inconsulta reverentia vel ab immundo refugerint; animas de aethere subtilissimo commeantes implicari corporibus, et vinculis corporis solutas, si quidem recte egissent, in locum trans ocea-

(3) Antiquit. Iudaic. l. 18, c. 2. Item de Bello iudaico l. 2, c. 8, alias c. 7.

(4) Hanc dissertationem reperies in Thesaurio antiquitatum sacrarum, tom. 25.

num campis elysiis similem, prout etiam gentiles asseruere, migrare docuerint. Audiamus verba ipsius Iosephi (1) de *essenis* ita scribentis: « Cum simul denique sederint decem, nullus unus novem loquitur invitis. Exspuere quoque in medium eorum, vel in dexteram sui partem quisque devitat. Sabbatis quoque operationem aliquam contigisse, omnibus iudaeis diligentius cavent... Neque vas aliquod (die sabbati) transponere audent, imo nec alvum purgant... Hi, qui iuniores sunt, inferiores praecedentibus aestimantur, ut si aliquos eorum contigerint quasi a contrectatu alienigenae diluantur... Opinio... apud illos firmata consistit... animas... immortales semper manere, et de aethere subtilissimo commeantes, quasi carceribus, ita corporibus implicari... Cum vero fuerint a carnalibus reseratae vinculis... ita illico laetari eas, sublimesque ferri. Et quidem bonas, concinentes in hoc graecorum (i. e. gentilium) sententiis, pronuntiant ultra oceanum degere, ubi eis reposita sit perfructio: illic quippe esse regionem, quae neque imbribus, neque nivibus, neque aestibus aggravetur: sed quam oceano oriens zephyrus, et leniter aspirans amoenet. » Ita Flavius Iosephus. Praeterea eodem teste (2) *essenis*... omnia in fati potestate esse affirmant, nec quidquam hominibus praeter fati decretum accidere; quamvis Ugolinus (3) excuset hac in re *essenos* et pluribus rationibus probet eos fati nomine non fatum libertati humanae inimicum intellexisse, sed constantem Dei legem, quae omnia gubernaret secundum

(1) De Bello iudaico, l. 2, cap. 8, alias c. 7.

(2) L. 15 Antiquit. iudaic. c. 9.

(3) In Thesaurio Antiq. sacri. tom. 25, 480 et 481.

naturae, quam ille rebus indidisset, cuiusque conditionem, ita ut nulla hominum libero arbitrio vis inferretur. Denique teste Iosepho (4) *essenis* non iurant. *Ipsium autem iusiurandum quasi periurio deterius vitant.*

Quantum ab his abest doctrina et vita Christi non solum ab omni superstitione immunis, sed puritate et sanctitate undequaque conspicua! Quantum quoque discriminis inter vitam, quam respective pauci *essenis* ea, qua dictum est, ratione agebant, et vitam integerrimae sanctitatis, quam innumerabiles sanctorum, sanctarumque chori tot iam saeculis ad evangelicæ perfectionis normam in omni populo et natione duxerunt!

157. QUÆRES XII. An HODIERNORUM (uti sese appellant) PHILOSOPHORUM doctrina loco doctrinae evangelicæ servire, aut huic aequiparari, aut omnino praeferrri iure debeat? R. Negative. Contrarium ex omnibus hactenus dictis et ex ipsa quotidiana experientia nostrorum maxime miserorum temporum facile colligi potest. Si quis tamen hanc quaestionem ulterius ac fusius discussam legere cupit, adeat clariss. Feller (5), qui ex instituto eam discutit, et contra incredulos negativam nostram sententiam stabilit. Id solum ex eodem cl. auctore observo, optime in illos pseudo-philosophos nostrae aetatis quadrare illa verba s. Augustini, quae is olim contra veteres eiusmodi philosophos in hunc modum (6) protulit: « Fuerunt ergo quidam philosophi de virtutibus et vitiis subtilia multa tractantes, dividentes, definientes, ratiocinationes acutissimas concluden-

(4) De Bello iudaico, lib. 2, c. 7.

(5) In *Catéchism. philosoph.* part. 2, c. 5, art. 6, § 10.

(6) Tract. 45 in Ioann.



tes, libros implentes, suam sapientiam buccis crepantibus ventilantes, qui etiam dicere audent hominibus: nos sequimini, sectam nostram tenete, si vultis beate vivere. Sed non intrabant per ostium: perdere volebant, mactare et occidere. »

158. SCHOLION. Quanta porro bona Christus per doctrinam suam mo-

ralem, seu legem evangelicam orbi praestiterit, et quidem prae omni philosophia veterum gentium (idem quoad potissimam partem etiam intelligendum est prae philosophia, id est, doctrina morali recentiorum incredulorum), perquam erudite ostendit cl. Nonnolle (1).

### SECTIO V.

#### DE ANTILOGIIS APPARENTER TALIBUS ET ADHUC ALIIS DIFFICULTATIBUS QUAE IN QUATUOR EVANGELIIS OCCURRUNT

Equidem quasdam antilogias apparenter tales (2), variasque alias de quatuor evangelis difficultates iam in praecedentibus sectionibus solvimus: restant tamen adhuc complures, quarum magnum numerum praecipue ad refellendos incredulos sequentibus duobus capitibus diluimus.

#### CAPUT I.

*De antilogiis apparenter talibus, quae apud quatuor evangelistas occurrunt.*

159. ANTILOGIA I. S. Matthaeus (3) ait: OMNES ITAQUE GENERATIONES AB ABRAHAM USQUE AD DAVID, GENERATIONES QUATUORDECIM: ET A DAVID USQUE AD TRANSMIGRATIONEM BABYLONIS, GENERATIONES QUATUORDECIM: ET A TRANSMIGRATIONE BABYLONIS USQUE AD CHRISTUM, GENERATIONES QUATUORDECIM. Et tamen in prima, et secunda tesseradecade (id est, ab Abraham usque ad David, et a Davide usque ad transmigrationem Babylonis) tantum ter decies repetit verbum GENUIT, adeoque tantum tre-

(1) In Diction. philosoph. de la religion, p. 1, voce: Chrétiens, art. 7.

(2) Vide supra sect. 5, cap. 5, q. 28, n. 114-127.

(3) Cap. 1, v. 17.

(4) Comment. in Matth. c. 1, v. 17.

(5) Matth. c. 1, v. 17.

decim generationes in singulis harum duarum serierum enumerat. Nonne hoc est sibimet ipsi contradicere? R. Nulla hoc loco realis antilogia, sive contradictio est. Nam ab Abraham usque ad David, proprie quidem sunt tredecim tantum generationes, cum solum terdecies in illa prima tesseradecade dicatur genuit, et generatio non sit, nisi cum unus alium genuit. Nihilominus merito evangelista quatuordecim dicit esse generationes, quia ab Abraham usque ad David inclusive sumptum quatuordecim sunt personae generantes et genitae. Quare, ut Cornelius a Lap. (4) recte observat per generationes accipiendae et numerandae sunt personae omnes tam generantes, quam genitae: haec enim, ut dixi, sunt quatuordecim. Id quoque confirmatur ex textu graeco (5), in quo non est vox γενεαι, generatio: sed γενεζ, hoc est progenies, genus, familia etc.; quasi diceret: ab Abraham usque ad David progenies quatuordecim etc. Ex eadem causa a David usque ad trans-

migrationem Babylonis erant generationes 14, non annumerando Davidem, utpote qui iam ad primam tesseradecadem, seu quaterdecadem pertinet.

160. DICES: Saltem in secunda aut tertia tesseradecade non nisi tredecim generationes numerantur; nam si Iechoniae generatio adnumeratur secundae tesseradecadi, tunc in tertia tesseradecade tantum remanebunt tredecim generationes: si vero Iechoniae generatio adnumeratur tertiae tesseradecadi, tunc in secunda tantum tredecim generationes erunt; uti rem hanc consideranti patebit. Hanc difficultatem teste Cornelio a Lap. Comment. in Matth. c. 1, v. 12, olim Porphyrius Christi et christianorum hostis, eis obiectabat velut inextricabilem. R. Et dico, a Davide usque ad Iechoniam, non vero usque ad Iechoniam inclusive sumptum esse quatuordecim generationes. Verisimilior enim est sententia eorum, qui cum s. Euziphano censent, sacrum textum originaliter sic habuisse: Iosias autem genuit Ioakim (seu Iekoniam): Ioakim vero genuit Iechoniam; ac revera Weigelius teste Hermanno Goldhagen (1) e vetusto graeco exemplari hanc lectionem producit. Ratio huius ulterior est, quia Iechonias non filius, sed nepos Iosiae fuit. Nam Iosias genuit quatuor filios, Iohanan, Ioakim, Sedeciam et Selum (2). Horum secundus (nempe Ioakim) genuit Iechoniam et alium Sedeciam (3). Quapropter hoc loco errorem unius e primis et antiquissimis librariis seu descriptoribus sacri textus agnoscere cogimur, a Iosia ad Iechoniam, omissis Ioakimo, ob similitudinem nominum trans-euntis: Ioakimus enim (4) fratres

habuit Iohanan, Sedeciam et Selum; Iechonias vero non fratres, sed unum dumtaxat fratrem, Sedeciam iuniorem. Porro Iechonias etiam dicitur Iochin nomine patri suo vicinus, sed ex eo dignoscendus, quod Ioakimus pater per k et m, Ioakimus filius per ch et n tam in textu hebraico, quam latino scribitur: a Iosia igitur genitus fuit Iekonias seu Ioakimus, et ab hoc Iechonias seu Iochinus. Hunc autem utrumque, id est, tam patrem quam filium a s. Matthaeo scriptum fuisse, illud argumento est, quod omissis Iekonia seu Ioakimo, numerus sibi non constaret ab ipso evangelista fixus, ut allata obiectio observat: nec enim generationes quatuordecim in qualibet tesseradecade prodirent; prodeunt autem, si sic ponatur: Iosias autem genuit Iekoniam; Iekonias vero genuit Iechoniam, ut e subiecta tabella patet.

1. Abraham	4. Salomon	1. Iechonias, seu Iochim
2. Isaac	2. Roboam	2. Salathiel
5. Iacob	5. Abias	5. Zorobabel
4. Iudas	4. Asa	4. Abiud
3. Phares	3. Iosaphat	3. Eliacim
6. Ebron	6. Ioram	6. Azor
7. Aram	7. Ozias	7. Sadoc
8. Aminadab	8. Ioatham	8. Achim
9. Naasson	9. Achaz	9. Eliud
10. Salmon	10. Ezechias	10. Eleazar
11. Boos	11. Manasses	11. Malthan
12. Obed	12. Amon	12. Iacob
13. Iesse	15. Iosias	15. Ioseph sponsus Mariae, e qua natus
14. David	14. Iekonias, seu Ioakim	14. Iesus Christus

SCHOLION. Eodem ferme modo, sed brevius obiectam difficultatem solvit Cornelius a Lap. (5), qui nihil de errore a primo aliquo librario in describendo sacro textu commisso dicens, id solum observat, non esse unum eundemque Iechoniam, de quo sermo est Matth. 1, v. 11 et

(1) P. 5 Introduct. in s. Scriptur. n. 19.

(2) I. Paral. c. 5, v. 15.

(3) Ibid. v. 16.

(4) I. Paral. c. 5, v. 15.

(5) Comment. in Matth. c. 1, v. 11.